



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

122. An excommunicatio lata contra aliquos, quorum unusquisque tamen minimam quantitatem furatus est, sit valida? Et an in tali casu, si unusquisque non restituat suam partem, quamvis minimam, an ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Sup. in ref. i.
not. praefer-
ritur.

probabilior est sententia affirmans causam, propter quam lata est censura, esse invalidam; valde probabiliter sustineri potest subditos non ligari censura. Ita ille, qui citat Suarez, sed de hoc supra dictum est.

RÉSOL. CXXII.

An excommunicatio lata contra aliquos, quorum unusquisque tamen minimam quantitatem furati sunt, sit valida?

Et an in tali casu, si unusquisque non restituat suam partem, quamvis minimam, an peccet mortaliter, & ex eo incurrat in praedictam excommunicationem? Ex part. 5. tr. 9. Ref. 54.

§. 1. **A**ffirmative respondeo, & idem docet Moscola in summa, tr. 6. cap. 5. num. 7. ubi sic ait: [Quando se pone censura contra los que hurtando cada vno vna pequeña cantidad sin saber vnos de otros, hurtan toda la vna de vna vña, atento que el pecado de cada vno fue venial; ay controversia entre los autores, como puede la excomunion mayor ligar a cada vno: facil es de entender considerando la restitucion que cada vno deve hazer, porque aunque el hurto es venial, luego que viene a su peticia el notable dño que al dueño se le ha hecho por su hurto, y los demas, a de restituír su parte so pena de pecado mortal, y la descomunion cae sobre este pecado mortal, y la contumacia de no querer restituír.] Ita ille, & communiter DD.

RESOL. CXXIII.

An detur parvitas materiae in excommunicatione Papali, contra extrahentes libros à Bibliotheca communi?

Et quid est dicendum, si aliquis extraheret extra Bibliothecam librum magni valoris per tres, vel quatuor passus, an excommunicetur ab excommunicatione ratione parvitas materiae?

Et an possit intra dictum spatium permanendo, illum per multum tempus legere? Ex part. 10. tract. 11. & Misc. 1. Ref. 29.

§. 1. **D**ari parvitas materiae excusantem à censura docet Pater Pellizarius, in Man. Regul. tom. 2. tr. 7. c. 2. sect. 3. n. 231. Cum autem (ait ipse) Concilium Tridentinum, sess. 25. c. 3. de Reformatione, statuatur huiusmodi excommunicationes debere fieri solum ob rem non vulgarem, & Lessius lib. 2. c. 12. n. 31. hinc dicat: Non facile excusaverim eos, qui pro 3. aut 4. florenis excommunicantur: constat iudicio Lessij, parvitas materiae in nostro casu dari in libris non excedentibus valorem 3. aut 4. florenorum, & quidem grandiorum. Ita ille. Addit tamen, subesse huic excommunicationi illum, qui successivè extrahit alios, & alios libros, salva tamen singulis vicibus parvitate materiae: si perveniat ad materiam notabilem: idque etsi singulis vicibus non habeat intentionem continuandi illas extractiones. Quia ad incurrendam hanc censuram non requiritur talis intentio: sed sufficit praevio notabilis damni, & cum sic objectum ex continuatione materiae evadat mortale, & de tali objecto constet Ecclesiae: datur sufficiens materia ad incurrendam hanc censuram. Secus dicendum, si successivè extrahat libros, salva singulis vicibus parvitate materiae, sed pluries id faciat, ita tamen ut non extrahat librum posteriorem, nisi priorem antea extractum bibliothecae restituat:

idque etsi intentionem habeat continuandi talem extractionem. Moveor, quod sic adest semper materiae parvitas, excusans à censura, & alioqui intentio continuandi modo dicto extractionem impertinenter se habet ad illam censuram incurrendam; ut iam ostensum est. Hucusque Pellizarius.

2. Sed quid dicendum, si aliquis extraheret extra bibliothecam librum magni valoris, per tres, vel quatuor passus, an excusaretur ab excommunicatione, ratione parvitas materiae? Et probabiliter affirmative respondeo: nam Naldus, verb. Clausura num. 2. & Grassius, de cas. reservat. cap. 5. n. 45. excusant mortalem ratione parvitas materiae, quae extra portam reg. clausurae exiret ad unum, vel duos palmos: quorum sententiam tanquam probabilem admittit etiam Pellizarius, de Monialibus cap. 5. sect. 1. n. 19. Ergo & in nostro casu, extrahentem per tres, vel quatuor passus librum è bibliotheca, non peccare mortaliter ratione parvitas materiae, dicendum est. Et cum sit magis considerabilis egressus è clausura, quam extractio librorum è bibliotheca, dixi non duos passus, sed quatuor constituere in nostro casu parvitas materiae ab incurfione censurae excusantem.

3. Sed quid dicendum, si potest infra tres, vel quatuor passus extrahere librum è bibliotheca, an possit etiam intra dictum spatium permanendo, illum per multum tempus legere? Respondeo affirmative, quia ratione parvitas materiae videtur mortaliter idem esse, ac si illum legeret intra bibliothecam. Sed haec omnia dicta esse volo salvo meliori iudicio, & an probabiliter, iudicent alij.

RESOLUTIO CXXIV.

An quis non incidat in excommunicationem ratione parvitas materiae?

Idem dicendum est de casibus reservatis, ut scilicet gratia, modicitas rei subtrahat in Ecclesia excusatur à mortali, ita etiam à reservatione.

Et extra alios casus pro colloquentibus cum Monialibus tandem quaeritur, quod tempus dicatur breve, ut cum illis colloquentes non incidant in excommunicationem? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. Ref. 69.

§. 1. **R**espondeo affirmative, & ita docet Grassius in decis. part. 1. lib. 4. cap. 8. num. 5. sic asserit: Si excommunicantur colloquentes cum monialibus, non comprehenditur, qui transiendo Monialem salutaret, vel parum cum ea loqueretur. Idem docet Finellius, de cas. reservat. cap. 5. num. 10. ubi sic asserit: Si paucis alloquaris Monialem, vel transiens illam salutes, aut salutatus respondeas, si de statu ejus ipsam interroges, si interrogatus respondeas, non incidis in excommunicationem propterea. Ita ille. Sed difficultas est in isto exemplo de excommunicatione contra colloquentes cum Monialibus, quod tempus dicatur breve, ut cum illis colloquentes non incidant in excommunicationem. Aliqui tenent esse quadrantem horae, quod mihi non placet: sed si quis per spatium unius miserere cum illis loqueretur, puto ratione parvitas materiae in dictam excommunicationem non incidere.

2. Idem quod dictum est de excommunicatione, Supra dicendum est de casibus reservatis, & si verbi gratia, modicitas rei subtrahat in Ecclesia excusatur à mortali, sic etiam excusabit à reservatione.